

Question 3 sur le livre II (transcription ms. Vat. Chigi O IV 41, revue d'après ms. Naples VIII g 74)

[V : 134va]

Consequenter queritur utrum ex anima et corpore fiat unum.

Arguitur quod non.

Et primo contra suppositum : nichil fit, ergo questio falsa. Antecedens probatur quia quodlibet est.

Secundo sic : si aliquid fit, sit illud *a*. Et arguitur sic : *a* fit, ergo aliquid fit. Et ultra : aliquid fit, ergo aliquid non est. Et hoc est falsum quia quodlibet est, ut constat.

Tertio sic : quia si *a* fit *a* non est, ergo *a* incipit esse. Tunc sic | V : 134vb | : *a* incipit esse ergo aliquid incipit esse. Et sequitur : aliquid incipit esse, ergo aliquid nunc non est et immediate post hoc erit. Modo illud consequens est falsum, quia est una copulativa cuius prima pars est falsa.

Quarto sic : quia tunc sequuntur contradictoria vera. Deduco consequentiam, quia si aliquid fit, sit ille homo ut Sortes. Tunc sic aliquis homo fit, igitur aliquis homo non est. Antecedens per se est verum. Et consequentia est formalis, igitur consequens est verum. Est igitur hec vera « aliquis homo non est », similiter hec est vera « quilibet homo est », et sic contradictoria vera.

Sed forte tu diceres quod aliquis homo fit qui est, quia aliquis homo incipit esse qui est, sicut dicimus quod Sor incipit esse quia nunc est et immediate ante hoc non erat. Sed contra, quia sic generans generaret et nichil generaret, quia clarum est quod generans non generat hominem qui est. Et pariformiter esset concedendum, quod domificator facit domum cui nichil defficit. Et tenet consequentia postquam tu concedis quod aliqua domus fit que est.

Quinto, quodcumque erit est, ergo nichil fit. Consequentia clara. Antecedens declaratur sic arguendo : aliquid quod erit est, et nichil quod erit est quin illud sit, ergo quicquid erit est. Similiter quicquid erit fuit, ergo nichil fit nec fiet. Patet consequentia nisi tu concedas idem motu pluries generari¹ et corrumpi, quod 2° *De generatione* negandum est. Probatur antecedens sic arguendo : quicquid est fuit, et quicquid erit est, ergo quicquid erit fuit. Consequentia optima quia in prima prime. Et maior patet quia aliquid quod est fuit, et nichil quod est fuit quin illud fuerit. Ergo quicquid est fuit.

Sexto, quod aliquid fiat non est evidens. Ergo quod aliquid fiat est negandum | V : 135ra | vel dubitandum. Probatur antecedens quia si esset evidens, hoc esset quia [vel]² tu libere apponis stramina ad ignem et inde dicis quod magnus ignis generatur.

¹ pluries generari] N, generari pluries V [*phrase pas claire*]

² vel] *del., om.* N

Sed contra, quia primo dicam quod ille ignis erat prius in straminibus occultus, vel dicam quod ille ignis est augmentatus per solam rarefactionem. Similiter dicam quod non valet talis argumentatio : video nunc *b* ignem quem prius non vidi, ergo *b* ignis est generatus.

Septimo, si aliquis ignis posset ex datis straminibus generari, generetur igitur *a* ignis adequate per horam *b* ignem, et³ sit, gratia argumenti, proportio *a* ignis ad stramina dupla proportio. Et tunc sequitur quod ante finem hore date ignis datus producit caliditatem intensive infinitam. Probat consequentia quia in prima parte proportionali huius hore *a* ignis inducet certam latitudinem caliditatis, et in secunda parte proportionali inducet caliditatem intensiorem quam in prima, quia secundum maiorem proportionem agit *a* in combustibile per secundam partem proportionalem quam per prima agebat, et sic dico de tertia parte proportionali, etc. Ergo ante finem inducet caliditatem intensive infinitam, quia *a* per istam horam aget a quadam latitudine proportionum composita ex proportionibus infinitis, quarum quelibet est maior prima. Et quia proportio velocitatum insequitur proportionem proportionum, quare etc.

Et hec sufficiant de supposito.

Nunc ad questionem in forma arguitur et sit octavum argumentum. Si ex anima et | **V : 135rb** | corpore fit unum, sit illud unum unus homo vel unus asinus. Iste homo corrumpitur et iste homo est anima et materia, ergo anima et materia corrumpuntur. Item sic homo est anima et materia, et ipse fit ex ~~his~~ his ergo idem fit ex se ipso.

Nono sic : si ex anima et materia fit unum, quero quid dicat ly ex. Vel igitur dicit causam efficientem, et hoc non quia tunc idem generaret se ipsum. Tenet consequentia quia anima et materia non sunt nisi ipsum compositum, quod compositum dicitur fieri ex his. Vel ly ex dicit materiam, et hoc non quia anima nullo modo est materia.

Decimum argumentum : si ex anima et materia fit unum et clarum est quod non unum accidens, ergo una substantia fit. Sed contra quia ex hoc sequitur quod anima sit ipsa materia et econverso, sic arguendo : anima et materia sunt una substantia, ergo anima et materia sunt idem illi substantie, ergo sunt idem inter se. Tenet consequentia per illam conceptionem Euclidis : quecumque uni et eidem sunt eadem, inter se sunt eadem.

Undecimum argumentum : aut fit unum ex his quando ipsa sunt, et hoc non quia tunc materia et anima essent et⁴ pro tunc non essent illud quod fit, et tunc autem generatio[nem]⁵ asini fuisset anima et sua materia, quod non conceditur. Aut fit unum ex his quando non sunt, et hoc non quia in generatione semper presupponitur materia.

Ultimum argumentum : si ex anima et corpore posset fieri unum, tunc Deus posset incarnari, ergo per communicationem ydiomatum Deus posset fieri homo, et posset fieri asinus et posset fieri corruptibilis et localiter mobilis de loco | **V : 135va** | ad locum, de situ ad situm, quia omnia falsa | **N : 48r** | reputantur.

³ et] etiam V ?

⁴ et pro tunc non essent] N, om. V

⁵ generation] corr. JB ? generationem V N

In oppositum est Aristoteles capitulo primo primi tractatus huius, *** dicens : Unde non oportet querere si ex anima et corpus fiat unum.

In hac questione erunt quatuor articuli ut in aliis. In primo articulo erunt quedam preambula ; in secundo de quesito⁶ ; in tertio difficultates ; in quarto ad rationes in contrarium.

Quantum ad primum, quia in titulo questionis ponuntur tres termini, eos expono.

Primo ponitur ly unum. Et dico quod ly unum sumitur multipliciter, eo quod aliqua dicuntur unum genere, et aliqua dicuntur unum specie et aliqua unum numero, et aliqua analogia unum analogia. Et tot modis dicitur « idem ». Hec scribuntur primo *Topicorum* ad textum, et noto hic quod hoc argumentum non valet : « homo et asinus sunt unum genere, ergo homo et asinus sunt unum ».

Secunda distinctio : unum numero dicitur dupliciter, quia unum numero simpliciter et sine addito, sicut dicimus « Deus est unus », « Sol est unus⁷ » ; secundo modo dicitur aliquid unum numero cum addito, sicut dicimus quod ille est unus populus et tamen ille populus non est unum nisi dicatur una agregatio.

Nunc expono illam dictionem « ex », et dico quod in sermonibus variis, aliquando ly ex designat materiam, sicut dicimus quod ex lapidibus⁸ fiat domus vel castrum ; et aliquando ly ex designat causam efficientem sicut di| V : 135vb|cimus notitia conclusionis fit ex notitia premissarum, similiter dicimus ex antecedente infertur consequens ; aliquando ly ex dicit causam formalem, sed improprie, sicut dicimus quod tu es albus ex albedine. Et non inuenio quod ly ex dicat causam finalem. Omnibus tamen modis consideratis, ly ex dicit proprie causam ~~materiam~~ materialem. Aliquando ly ex dicit nobis ordinem sicut dicimus quod senectus fit ex iuventute et iuventus ex pueritia id est post pueritiam.

Alia evidetia de isto termino « fit » qui ponebatur in titulo questionis. Pro quo sciendum quod reperiuntur hi termini « fit », « producit », « generatur », « incipit » qui communiter a multis ponuntur tamquam termini synonymi, sed non est ita. Stat enim quod aliquid incipit esse quod non fit, quia ponamus in casu quod nunc primo sis generatus, tunc in hoc casu tu incipis esse, quod patet per exponentes quia nunc es et immediate ante hoc non fuisti, ergo nunc incipis esse. Tamen in illo casu tu non fis, quia⁹ tu factus es. Similiter reperiretur diversitas magna inter hoc quod est fieri et generari quia est verum quod fit domus et tamen non est verum quod generatur domus quia in fatione domus non acquiritur aliqua

⁶ quesito] proposito N

⁷ unus] N unum V

⁸ lapidibus] N lapide *dub.* V

⁹ quia] N *lettres rayées* V.

vera forma substantialis, sed in generatione acquiritur vera forma substantialis iuxta doctrinam *Physicorum*¹⁰.

Quantum ad secundum, presuppono duo. Primum est : omne animatum est compositum ex duplici substantia diversarum rationum. Hoc patet ex prehabitis. Secundum est : non est possibile per naturam quod materia fiat forma, nec eiusdem rationis cum ipsa, nec econtra¹¹. Patet quia per naturam non possibile quod | **V : 136ra** | incorruptibile fiat corruptibile nec econtra.

Pono conclusiones.

Et prima sit ista : nullum compositum est aliquid. Patet quia per primam suppositionem quodlibet compositum est plura diversarum rationum, quorum unum non potest esse alterum per naturam, nec eiusdem rationis cum eo, ut dicebat secunda suppositio¹². Ergo conclusio vera.

Secunda conclusio, ex anima et corpore fit vel potest fieri unum animatum corpus, ut ly ex dicat materiam. Patet conclusio.

Tertia conclusio : ex anima et corpore | **N : 48v** | non fit una substantia. Patet quia ex anima et corpore maxime fit corpus animatum. Modo per primam conclusionem nullum corpus animatum est aliquid, ergo sequitur quod nullum corpus animatum est una substantia.

Quarta conclusio : nullum animal est substantia. Patet quia nullum animatum corpus est aliquid, ergo nullum animatum corpus est substantia. Patet ex alio quia quodlibet animal est plura quorum unum per naturam non potest fieri alterum, nec eiusdem rationis cum illa, nec econtra. Hoc patet quia quodlibet animal est materia et forma.

Quinta conclusio : non valet hoc argumentum : « hoc est animal, igitur hoc est substantia ». Patet quia antecedens est verum et consequens falsum.

Sexta conclusio : licet quodlibet animal sit aliquod animal, tamen est ita quod nichil est aliquod animal. Prima pars patet inductive, secunda patet quia si aliquid esset aliquod animal, vel illud esset substantia vel accidens. Non accidens, ut constat, ergo substantia. Sed contra quia nec materia est aliquod animal, nec forma est aliquod animal, sed bene compositum est aliquod animal | **V : 136rb** | unde, ut dictum est, compositum non est aliquid sed plura distincta.

Alia¹³ conclusio : gratia eiusdem textus Aristotelis, per applicationem sigilli ad ceram nulla entitas in cera inducitur. Patet quia non substantia, ut constat, nec accidens, quia ad presens presuppono quod figura sit ipsa res figurata.

¹⁰ Physicorum] Et hec sint dicta de primo articulo questionis *add.* N

¹¹ econtra] contra N

¹² suppositio] propositio N

¹³ alia conclusio] septima N

Ultima conclusio : in infinitum magis ex cera et figura fit unum quam ex anima et corpore. Patet quia ex anima et corpore non fit unum, ut dictum est, licet fiat unum animal vel una planta. Sed ex cera et figura non fiunt plura postquam figura non est res distincta a re figurata.

Et hec de secundo articulo.

Ad tertium articulum condescendo, in quo queruntur breves difficultates.

Prima sit ista : utrum ad hoc quod ex anima et corpore fiat unum ponenda sit aliqua entitas distincta ab anima et corpore. Et consimilem difficultatem quero in toto, ut scilicet ad hoc quod totum¹⁴ fiat unum ex suis partibus ponenda sit aliqua entitas etc.

Secunda difficultas sit ista : utrum hec sit concedenda « aliquis homo incipit esse », supposito quod immediate post hoc generetur aliquis homo ut Sortes. Et eodem modo quero de ista « aliquis homo desinit esse », supposito quod immediate ante hoc fuerit aliquis homo qui nunc non sit.

Tertia difficultas : utrum Deus possit indifferenter assumere in unitate persone quamlibet naturam, ut alias assumpsit humanam¹⁵ naturam¹⁶.

Ad primam difficultatem qua queritur etc., quia illa difficultas habet pertractari generaliter quarto *Physicorum*, ideo breviter hic dico duo.

Primum est quod ex aliquibus duobus ut ex anima et corpore fiat unum animal vel una planta non | **V : 136va** | est necesse ponere tertiam entitatem. Patet quia queram que res est illa entitas : vel est substantia vel accidens, et non apparet quod sit substantia, quia in vivente nichil est preter materiam et formam eius, alioquin haberet animal duas materias diversarum rationum vel duas formas substantiales diversarum rationum, et has partes appello partes essentielles animati corporis. Et sic adhuc staret quod ultra illas partes oporteret ponere aliam materiam vel aliam formam, et sic in infinitum procederemus. Si dicatur quod illa unitas sit¹⁷ accidens, hoc non apparet, quia tunc illud accidens esset nobilius forma substantiali viventis. Tenet consequentia postquam per illud accidens hoc animal esset unum animal, et non per eius formam substantialem, ergo animal haberet suum esse ab hoc accidente.

Secunda conclusio : teneri potest et persuaderi sine quacumque contradictione quod ad hoc quod ex aliquibus fiat unum oportet ponere unam entitatem. Declaro istam conclusionem quia principium est in quacumque facultate quod non contingit transitum fieri de contradictorio in contradictorium sine acquisitione vel deperditione alicuius rei. Sed in proposito illa contradictoria verificantur successive « illa sunt unum » et « illa non sunt unum », ergo sequitur quod oportet ponere acquisitionem alicuius rei vel deperditionem. Declaro assumptum. Primo enim ubi *a* et *b* sint due aque distincte eiusdem fontis, est verum quod

¹⁴ totum] sit sue partes vel ad hoc quod *add.* N

¹⁵ humanam] N *om.* V

¹⁶ naturam] tantum N

¹⁷ sit] unum *add.* N

ille¹⁸ non sunt unum, et post hoc ille¹⁹ erunt unum, et non est facta aliqua mutatio | **V : 136vb**| in *a* nec in *b*, ergo oportet ponere aliquid esse quo sint unum, et hoc non est nisi unitas vel unio. Et sic dicimus quod Sor est unus quadam unitate, et ubi separaretur anima a corpore sine motu locali, quod posset fieri per Dei potentiam, nec esset mutatio in anima nec in corpore. Oportet ergo ponere corruptionem alicuius rei. Et ideo dicitur quod hic est unio corrupta, que unio nec est materia nec est forma nec aliud. Et ponentes illam unitatem habent consequenter dicere quod totum non est sue partes, unde homo non est materia et forma, sed requiritur unio, et iuxta hunc modum posset principalis questio habuisse aliam determinationem, ut tu diceres quod ex anima et corpore non fit unum animal, sed bene ex anima et corpore mediante unitate fit animal.

Ad secundam difficultatem, utrum sit concedendum etc., dico hic quod retento casu est quelibet illarum propositionum concedenda. Sed dico consequenter quod ista « homo incipit esse » non debet sic exponi : « aliquis homo nunc non est, et immediate et immediate post hoc aliquis homo erit ». Patet quia ista copulativa est falsa pro prima²⁰ parte, quia quilibet homo est. Sis igitur cautus, et exponas eam sic : « aliquis homo incipit esse », idest « immediate post hoc erit aliquis homo qui nunc non est », et ex hoc non²¹ sequitur quod aliquis homo nunc non sit, quia non fateor nec fatendum est primam esse copulativam |**137ra**| Eodem modo dico ad aliam [ad aliam] : « aliquis homo desinit esse », idest « immediate ante hoc fuit aliquis homo qui <fuit> nunc non est ».

Ad tertiam difficultatem qua queritur etc., dico quod Deus indifferenter potest quamlibet naturam assumere in unitate persone. Et per « unitatem persone » intelligo quod omnia predicata que verificantur²² de natura assumpta verificabuntur de Deo, facta assumptione. Et ut tu intelligas pono istum casum quod Deus in unitate persone assumat naturam humanam et naturam asininam, quo facto audacter concedas tales propositiones²³ : « Deus est extensus », « Deus est corruptibilis », « Deus est homo », « Deus est asinus », « homo est asinus » et huiusmodi.

Et hec dicta sint pro tertio articulo.

Pro quarto articulo non expedit respondere ad rationes que probant veritatem.

Et hec de tota questione.

¹⁸ ille] *corr.* illa **V**, ista **N**

¹⁹ ille] *corr.* illa **V**, ista **N**

²⁰ prima] **N**, *om.* **V**

²¹ non] **N**, *om.* **V**

²² verificantur] verificabant **N**

²³ propositiones] conclusiones **N**